



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 4. De terminis Europae recentioris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

Italia, pars Belgij maior, & Hispania Hæreseos solæ effugere virus, & incendium. Religionis Europææ restes tot Episcopatus, tot Basilicæ, tot latifundia Ecclesiæ, & Christo addicta tanta Cœnobiorum multitudo; quæ tamen Hæresis, & perpetua comes hæreseos improbitas nonnihil detriuit.

POLITICOS denique Europæos esse docuerunt *Hispani* patrum nostrorum memoriâ, dum Imperium per totum Orbem effusum, & ex partibus ad eò disiunctis concinnatum prudentiâ mirabili administrarunt, bellum in omnem partem, ipsi quieti, circumferentes. Quid melius institutum *Venectorum Rep.* qui veram reddere adulationem Cynæ, dum apud se tot Reges habent sapientissimos, quot Senatores. *Bataui* primùm piscatorum rebellium turba, per totum Orbem merces suas atque victorias magno Hispanorum damno sparserunt. *Italii & Græci* obest nimia prudentia, quominus iniectas sibi compedes frangant. Quid autem possint in Reip. administratione Galli, nostra ætate magnus Cardinalis, vir multùm, sed tamen nondum satis laudatus ostendit.

§. 4. De terminis Europæ recentioris.

EVROPÆ Nouæ non alij termini quàm Antiquæ, quia tamen paulò aliter Geographi recentiores loquuntur, eos retractare hîc quoque iudicauimus.

A SEPTENTRIONE alluitur maribus Dano-Noruegico de *Myrmanskou*, & Deucalidonio *Thé Deucalidon*.

AB OCCIDENTE respicit Oceanum Occidentalem vulgè *la grande Mer, ou du Ponant*.

A MERIDIE Fretò Gaditano stringitur, *le destroit de Gibraltar*, & Sinu Lugdunensi vulgè *Golpho Leonino*, Mari Tusco *la Mer de Toscane*, & Venetico Sinu, seu Mari Græco, *le Golphe de Venise, ou la Mer de Grece*.

AB ORIENTE denique *Ægæo Mari* & *Archipel*, ou *l'Archipelage*; *Hellesponto*, *le bras de S. George*; *Propontide*, *la Mer de Marmora*; *Bosphoro Thracio*, *le Canal de la Mer Noire*; *Ponto Euxino*, *la Mer Noire, ou la Mer Maiour*; de reliquis terminis quadruplex opinio.

Prima est eorum qui Europam magis dilatant, & superioribus limitibus addunt Caucasum montem, hodie montes *Mingrelia*,

& *Georgianorum*, partem Caspij Maris ad ostia vsque *Taich* Fl. qui olim *Rhymnus* dicebatur, à cuius fontibus lineam dirigunt ad viciniorem Fl. *Obij* ripam, & reliquo *Obio* vtuntur ad Mare Septentrionale: ita *Moschouitæ* quidam vt ditionem suam omnem *Europæ* limitibus coërceant.

Secunda est illorum qui *Europam* magis restringunt, & post partem *Euxini* Maris ad ostia *Borysthenis*, vtuntur eodem *Borysthenis* vulgò *de Nieper* ad urbem vsque *Smolenskum*, à quâ lineam trahunt ad fontem Fl. *Chesni*, tum eodem Fluuio, & duobus Lacubus *Lagoga*, & *Onega*, & hinc productâ lineâ ad viciniorem ripam *Sinus Granduici*. Ita recentior Geographus, vt *Moscouicæ* ditionem totam adiudicaret *Asiæ*. Sed nihil egit, siquidem pars *Regni Polonici* vltra *Borysthenem* porrigitur.

Duæ sequentes opiniones hoc habent commune quod post *Euxinum* Pontum, statuunt *Europæ* limites *Bosphorum Cymmerium*, *le Canal de Caffa*; *Paludem Mæotidem*, *la Mer de Zebekés* & *Tanaïm* Fl. vulgò *Don*, sed cum hoc discrimine, quod

Tertia sententia vtatur tantum parte *Tanaïs* ad fossam vsque *Kamoutz*, eâdem fossâ, *Volgæ* Fluij parte, donec recipiat *Volgam* Orientalem vulgò *Bella-Volga*, à cuius capite, aut melius fonte Fluij *Vrpe* in eum influentis, lineam promouent ad propinquiorem *Obij* Fluminis ripam, quem deinceps limitem *Europæ* præfinitunt. Ita omnes *Ortelij*, & *Cluuerij* fautores.

Quarta verò eâque communissima totum adhibet *Tanaïm*, ad eius vsque fontes, seu lacum vnde primùm erumpit vulgò *Rezans-Koi-Ofera*, vel vt loquimur, *le lac de Rezan*; ex quo linea recta ducitur ad urbem *S. Michaëlis Archangeli*, vbi *Duina* Fl. in duo brachia scinditur, vt influat in *Sinum Granduicum*. Et eâ deinceps opinione in his *Parallelis* vtetur.

§. 5. De variis linguis quibus iam vtuntur *Europæi*.

DIVERSITAS linguarum ista maximè profluxit ex populis *Borealibus* in *Europam* Imperio Romano iam labante irrumperentibus, quas tibi præsentî *Tabula* representamus.

LIN-	LATINA	Italica.
GVÆ	siue	Francica.
	Deus	Hispanica.